



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Cæsarea, Germanicè Kaisersheim/ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

39. *Henricus Clausius*, *Weissenhornanus*, eligitur anno Christi 1527. Præest adhuc currente hoc Jubilæo septuagenarius, latine mediocriter doctus, justitiæ & æquitatis studiosissimus, monasterii sui diligens inspector & illustrator, oconomus strenuus & vigilantissimus.

Sub hoc Abbate, anno Christi 1546. efferuescente Germanico bello, viginti Helvetii impetum facere & armata manu accurrere in cœnobium ausi fuerunt, egregie bibentes & magnis truncis omnes januas effringentes. Monachi mox campanas pulsare & colonorum ita præsidia advocare cœperunt, qui sine mora venientes, Helvetios misere verberarunt, & carceri incluserunt: ubi per dies aliquot sub duris jejuniis detenti, tandem iterum dimissi sunt, facta prius de non ulciscendo conventionione. Hæc communicavit mihi egregie doctus ejus loci cœnobita & prior, versificator ingeniosissimus, *D. Bartholomæus Stella*, patria Isnenfis, qui carmine semper ludere, sed illa, quæ componit, vel in nonum usque annum premere, aut sibi certe tantum ludere solet, ut ille ingeniosus citharœdus faciebat, de quo est apud veterem Poëtam.

*B. Stella*  
*Poëta.*

.....

**C**ÆSAREA, Germanicè *Kaisersheim* / corrupto autem vocabulo *Keyfsheim*, opulentum, magnificum, ac longe pulcherrimum Cisterciensium ordinis ac instituti cœnobium, in sylvis Sueviæ, olim *Haidwang* dictis, circa *Donawerdam*, urbem Imperialem, non procul ab eo loco situm, ubi *Lycus* & *Danubius* confluunt, & hodie adhuc in eo maximorum annuum concursu vetus est ac penitus eversum Castrum veterum Comitum de *Lechsmund*, ab ipso *Lyci* in *Danubium* ingressu *Lycostoma* seu os *Lyci* cognominatum, Augustanæ diœceseos, sub visitatione Abbat̃is *Lucellensis*: fundatum est anno Christi 1133. ab *Henrico*, Comite de *Lechsmund* & ejus conjuge, *Domina Loicarde*, quæ illic sepulta est, & unà cum marito in unum tumulum collocata anno 1142. Tumulo inscripti sunt sequentes versiculi:

*Lycostoma.*

*Lechsmund.*

*Hoc*

Hoc latet in tumulo almae religionis amator,  
 Cui de Lechsgmund stirps generosa fuit.  
 Illustris Comes Henricus, fundator & author  
 Ipse monasterii Caesariensis erat.  
 Quis tibi, clare Comes, grates persolvere dignas  
 Possit pro meritis muneribusq; tuis?  
 Te Pater altitonans caelesti munere donet,  
 Ipse tuis meritis premia digna ferat.  
 Anno milleno, centeno, quadrag. geno  
 Ac bino, ab vitam mors tibi dira rapit.  
 Te Deus extinctum, te det requiescere sanctis  
 Molliter, & regnis fidere det superis.  
 Ipse suam faciem faciet te visere letam,  
 Clare Comes. Fausse perpetuoq; vale.

Confirmationem sui monasterii fundator à Domino Walthero, Episcopo Augustano, consequutus est per nobilem & liberum Hartindum de Graiffenspach, Achatem suum, anno Domini 1135. Is Episcopus, genere & origine Palatinus Tubingensis, dedit Caesariensi coenobio Augustae in Comitibus Imperatoris Lotharii infulam S. Udalrici Antistitis Augustani. Est hoc Caesariense coenobium limes ac terminus Episcopatum, Aureatensis & Augustani: cujus rei testis est lapis acuminatus in monasterio positus, inter Ecclesiam & portam. Comitum de Lechsgmund, qui anno Domini 815. temporibus Ludovici Imperatoris, & anno 842. temporibus Lotharii Imperatoris floruerunt circa Danubium in arce & oppido Lechsgmund, quasi Lyci ore, sive Lechsend, quasi Lyci sine, talis habetur in eodem coenobio genealogia. Leguntur autem aliqui horum fuisse Principes ac duces, quod testantur quatuor ducalia officia, quae habuisse eos, ex veteribus monumentis constat. Fuerunt enim Marfalli ad ad Meulhardum, Dapiferi de Altisheim, Pincernae de Schoeinsbeundo, Camerarii ad Gansheimium, Comitum de Lechsgmund ministeriales: quarum appellationum sunt adhuc vastatae arces in Bavaria. Sequitur Genealogia.

L

Ber-

Braunshuy

Chronologia  
 Monasterio

in Bavaria  
 S. III

*Bertholdus*, Comes in Burggheim & Lechsgmund, è quadam Sueviæ Ducissa excepit filios

*Henricum*, Comitem in Lechsgmund, fundatorè Cælarisem, anno 1134. is excepit è

*Theobaldum*, de quo nihil profus invenitur in factos relatum.

*Domina Loicarde* fundatrice & prima uxore filios tres

*Domina Adelbeide* secunda conjuge

*Conradum*

*Volcardum*, sive *Wolgeradum*, quæ germanica vox est. Is genuit

*Henricum* secundum, año 1160. mortuum.

*Adelheidin*, filiolam, quæ in Cælarisem cœnobio sepulta est.

*Henricum* tertium.

*Henricus* vero

*Theobaldum*, qui ab anno Christi 1188. ex *Agatha*, Ducissa Deccenfi, ad annum usq; 1193. factus est pater unius filii

*Bertholdi*, qui obiit anno Domini 1223. Ejus conjunx erat *Domina Agatha*, Comitissa de Aurach, quæ edidit duos filios, & unam filiam.

*Bertholdum* anno 1244. mortuum.

*Henricum* quartum, qui obiit an. 1595. Suscepit is ex conjuge sua *Domina Gertruda*, Baronissa *Abenspergenfi*,

*Agatham*, quæ desponsata est *Bertholdo*, Comiti cuicdam de *Aurach*.

*Scheurense monasterium in Bavaris. Inferius Schonensfeldum. Lechsgmund, vastatur à Ratisbonensibus.*

*Bertholdum*, Comitem in Lechsgmund & Graisbach, fundatorem monasterii *Scheurenfi* in Bavaria. Ejus conjunx, *Dña Adelheidis* de Cyprio, fundatrix fuit inferioris *Schonensfeldi*, monialium præclari cœnobii, in confluxu Danubii & *Lyci* sitæ. Hic *Bertholdus* annum Christi circiter 1248. oppidi & arcis *Lechsgmund* possessionem amisit. Est enim incendio vastatum à *S. P. Q. Ratisbonensibus*. Nam cum mercimoniarum *Ratisbonæ* tunc florent, quæ deinceps *Noribergam* translatae sunt, Comes ille, invidens felicitatem eam *Ratisbonensibus*, nolebat ferre, ut quicquam navigio deferretur *Ratisbonam*; unde ejus loci Resp. incitata & excitata, res suas defensione bellum in eum movit. Ita sequentes Comites se non Comites in, sed de *Lechsgmund* scriptis publicis jactabant.

Habuit

Habuit *Bertholdus* iste filios.

*Waltherum* de Lechsgmund annis 1244 & 1278. *Bertholdum* tertium, de Lechsgmund in Graispach anno 1266. Cujus conjux *Elisabeta* peperit

*Gebhardum*, Canonicum & tertium hujus nominis, episcopum Ailbetchensem, qui tribus annis, octo mensibus, 14 diebus praefuit Episcopatus, & obiit anno Domini 1327. Lucæ in Italia.

*Bertholdum* in Graispach, & de Lechsgmund. Habuit uxores

*Henricum*, Comitē in Graispach 1292.

*Elisabetam*, quæ nupsit Comiti Hirsbergenfi. Ejus filia *Elissa* fuit priorissa in inferiori Schonefeldo.

*Elissam*, Comitissam de Hirsberg, 1275. Ex hac excepit

*Agnete*, Marchionissam Burgovianam.

*Bertholdum* 1301. & 1324. & *Henricum*, qui vixit anno 1324.

Comites in Graispach, Marstetten, & Niffen. Is ex *Agnete*, Helvetia Comitissa de Gundelfingen, excepit

*Singerum*. *Agnete* 1328. *Annam*, Abbatissam inferioris Schonefeldi.

Habent sepulturas suas in Cæsariensi cœnobio primum fundatores, Comites videlicet à Lechsgmund, Domini in Graispach: postea Comites etiam Niffenses, & Comites Elephantini saxi: Comites Oetingenses, præcipue vero *Conradus*, Comes in Oetingen, ab *Henrico* septimo Imp. proscriptus, qui obiit in Cæsarea: *Barones* in Gundelfingen, *Marfalli* à Pappenheim, *Pincernæ* à Geirn, *Nobiles* à Rechberg, & multi alii reguli. *Abbatibus* vero, qui præfuerunt huic cœnobio à prima fundatione ad hæc usque tempora, hi fuere.

Abbatum Catalogus.

1. *Udalricus*, primus Abbas, eligitur anno Domini 1134. assumptus ex Lucellensi cœnobio, vir pius ac religionis externæq; disciplinæ studiosissimus. Is fratres secum ex eodem cœnobio Cæsaream adduxit. Præfuit uno & viginti annis. Obit anno Christi 1155.

L 2

2. *Con-*

Braunshij

Chronologia  
Monasterio  
in Germania  
S. III

2. *Conradus* eligitur anno Domini 1155. Erat optimus œconomus. Præfuit annis decem. Obiit anno 1165.

3. *Diethelmus* eligitur anno Domini 1165. Præfuit & profuit annis novem.

4. *Albertus* eligitur anno 1174. Ædificatur ab eo dormitorium & ecclesia spatio novem annorum. Sub eo dedicatur ecclesia ab Hardovigo, Episcopo Augustano, anno Christi 1183. in præsentia Othonis, Episcopi Aistetenfis. Fuit author Bibliothecæ. Præfuit annis 19. Obiit anno 1194.

5. *Ebo* eligitur anno 1194. Præfuit laudabiliter annis 16. Obiit anno Christi 1210.

6. *Conradus* eligitur anno 1210. Erat Abbas pius & doctus. Præfuit annis octodecim. Obiit anno Christi 1229.

7. *Henricus* eligitur anno 1229. Præfuit 11. annis, & decessit anno 1240.

8. *Richardus* huic succedit, qui præfuit annis 12. Obiit anno Domini 1252.

9. *Wolvicus* eligitur anno Christi 1252. Præfuit annis undecim.

Sub hoc Abbate Wolwico vixit in hoc Cæsariensi cœnobio & reliquum vitæ per decennium adhuc superstes exegit, resignato Augustano episcopatu, Dominus Sibotho, Baro de Gundelfingen, Cisterciensis instituti miro flagrans studio, & quod fratrem etiam germanum illic haberet, sub D. Bernardi regula & præscripto Deo servientem, Henricum. Obiit vero episcopus iste Sibotho anno 1262. Sepelitur in Cæsariensis monasterii choro.

10. *Henricus* constituitur anno Christi 1263. Fuit vir eximie doctus & in summa autoritate apud omnes tum summos, tum infimos. Præfuit quatuor annis pie & religiose, & designatus est Episcopus Chalcedonensis, anno Christi 1267.

11. *Drutwinus* eligitur anno Domini 1267. Præfuit uno & viginti annis. Decessit ex hac mortali vita ad immortalem anno Domini 1288.

12. *Henricus* à Bappenheim eligitur anno 1288. Præfuit annis 15.

13. *Joan-*

13. *Joannes Chonoldius*, Augustanus, eligitur anno Domini 1303. Præfuit annis 18. Deceffit ex hac vita anno Domini 1321.

14. *Udalricus Zoller* eligitur anno 1321. Præfuit 19. annis. Obiit anno 1340.

15. *Udalricus Nublingus*, Laugingensis, ædificator templi ex iniis fundamentis anno Christi 1352. eligitur anno 1340. Præfuit uno & viginti annis. Resignavit Abbatiae gubernationem propter ingravescentem senectutem anno 1361.

16. *Joannes Zauer* eligitur anno Domini 1361. Absolvit templum ab Udalrico antecessore inchoatum. Præfuit utiliter 19. annis. Obiit anno 1380.

17. *Joannes Molitor*, Hochstadianus (est id oppidum Palatinorum ad Danubium situm, infra Dillingum, & Laugingiacum) eligitur anno Domini 1380. Is ornari & consecrari fecit templum ab Episcopo Burcardo de Ellerbach anno Christi 1387. Fuit conditor ambitus & cellæ vinariæ anno Christi 1395. Præfuit & profuit viginti annis & aliquot mensibus. Deceffit ex hac vita anno 1401. Sub hoc Abbate obiit anno Domini 1391. nobilis ac strenuus vir, *Ulricus* à Treuchtlingen, ultimus suæ gentis, Cæsareæ in D. Virginis sacello cum clypeo & insignibus suis terræ mandatus.

18. *Joannes Scherb* eligitur anno 1401. Interfuit sex equitum comitatu Concilio Constantiensi, cui 204. Abbates, Episcopi vero centum ac decem interfuere. Præfuit 22. annis, & obiit anno Christianæ Salutis 1423.

19. *Crafft*, *Hochstadianus*, eligitur anno Gratiae 1423. Præfuit quatuor annis & exauthoratur, quod inutilis esset gubernationi; postea obiit anno 1430.

20. *Leonhardus Weinmayer*, Laugingensis, promotus à Crafftone ad burfarii sive œconomi dignitatem, pro quo beneficio ipse Crafftone ejici ex Abbatiae gubernatione fecit. Ipse vero electus est anno Christi 1427. Illustravit monasterium variis structuris, & quali mensura ipse mensus fuerat suo benefactori, eadem etiam ipsi jam remetiebatur. Nam 13. gubernationis suæ anno depositus est & ipse, ac per vim è gubernaculo deturbatus

L 3 anno

Bursarii

Chronologia  
Monasterii  
S. M.

Hochstet.

Const. ant.  
Conci-  
lium.

Ingrati-  
tudo,  
punita.

anno videlicet 1440. instinctu Marchionis Brandenburgensis, Friderici, cujus ditioni nolebat subesse Abbas, etsi is Dominus esset tum Comitatus Graispachiani, ad quem dicebat Marchio pertinere etiam cœnobium Cæsariense. Cui cum Abbas intrepide responderet, nec habere nec agnoscere alium sese Dominum quam Romanum Imperatorem vel regem, nec habuisse Cæsariense cœnobium à primæva sui fundatione præter hos alium Dominum; Marchio incensus ira Abbatem equo alligatum ex cœnobio Cæsariensi in Marchionatum avexit. Quomodo autem ibi tractatus sit, non invenio in fastos relatum.

21. *Nicolaus Kolb*, sacrae paginae eximius Doctor, eodem anno ex Fontium salutarium cœnobio assumptus est. Is non erat felix œconomus, ita ut sub eo ad summam pene inopiam redactum fuerit Cæsariense monasterium. Affectus plurimis vicinarum urbium Imperialium injuriis Romam proficiscitur, petiturus à Pontifice defensionem, quam & impetravit: feliciter itaque inde reversus una cum Pontificio fulmine, adversus hostes suos scripto, obiit mox anno 1458. cum monasterio præfuisset quidem annis octodecim, sed non admodum profuisset.

22. *Georgius*, patria Ingolstadianus, eligitur anno Christi 1458. Celebratur alter Cæsariensis monasterii fundator propter diligentem œconomice administrationem, & monasterii domiciliorum instaurationem. Hoc præfidente, Albertus, Marchio Brandenburgensis, obsidione monasterium cinxit, & securius sibi iter in id faciens anno 1461. effecit, ut Abbas data prius Marchioni, Cæsareæ Majestatis nomine, fide Nördlingam secederet. Ædificavit Bibliothecam, infirmatorium, & alias plurimas aedes. Præfuit utilissime 21. annis. Decessit ex hac vita an. 1479.

*Cæsarea  
obsidetur  
à  
Marchione  
Alberto.*

23. *Joannes Visthes* eligitur eodem anno, homo grandævus, egregius monasterii illustrator & renovator. Is laudabiliter præfuit annis duodecim, & obiit Augustæ sub cura medicorum anno 1490.

24. *Georgius Castnerus*, ex Werdæa Suevica natus, antea Prior, eligitur anno Christi 1490. Fuit egregius œconomus, & monasterii sui illustrator, ædificator Abbatiae anno Christi 1507. cum

cum ecclesiam prius pulcherrime adornasset ac illustrasset. Dixerat enim, sibi ac successoribus suis nihil sese aedificaturum, nisi Deo prius sua aedificasset. Praefuit utilissime 19. annis. Obit ex anthrace sive carbunculo, anno Domini 1509.

25. *Conradus Fossor*, vulgo Reutter, patria Nordlingensis, eligitur ex Priore Cæsariensi in Abbatem anno Christi 1509. statim post mortuum Abbatem Georgium. Festinabant vero monachi, quod scirent, Episcopum quendam insidiari & inhiare Abbatiae, qui dixerat aliquando, non se moriturum prius, quam Cæsariensis fieret Abbas. Mortuus est autem, Abbas vero Cæsariensis factus non est. At qui isti dignitati praefectus est, is vir egregie doctus erat, Theologus, & Philosophus insignis, praedictus musicus, legum cum Pontificiarum, tum civilium eximie gnarus, poeta vero talis, qualem non invenias unum jam in omnibus totius Germaniae monasteriis. Extant ejus poemata, Mortilogi titulo Augustae Vindelicorum impressa anno 1508. Vidi juvenis hominem jam tum senem anno Christi 1539. & vixi tunc eo per biduum suavissime, cum ille de omni disciplinarum genere differeret egregie, & tot optimorum versuum ex omni poetarum veterum genere defunctorum meminisset, ut ego satis mirari memoriam tam reverendi ac suaviter eruditi senis vix equidem possem. Complexus me humaniter, humanius tractavit, humanissime à se dimisit. Fuit utilis gubernator coenobii sui, quod turribus, muro ac fossa pulcherrime communivit contra centaurorum quorundam violentiam ac malas technas. Habuit apud se in coenobio suo eruditum quendam monachum, *Joan-* *Knobelii*  
*nem Knobelium* seniore, qui egregium Chronicon de rebus cum *Chroni-*  
monasterii, tum Abbatum ejus loci scripsit, & huic Conrado Ab- *con de*  
bati dedicavit: ex quo ego haec de Abbatibus singulis breviter *monaste-*  
collegi. Praefuit Conradus Abbas annis triginta & aliquot men- *rio Rai-*  
sibus. Decessit ex hac vita anno 1540. Cujus tumulum tali ego *serstheim.*  
honoraviepitaphio:

*Conradus Fossor, venerandus & utilis Abbas,  
Corporis hic humili mole quiesco mei.*

Qui

Bruchhij

Chronologia  
Monasteria  
in Germania  
S. III

Qui vates facili ludebam carmine sepe,

Et noram veteres historiasq; no vas:

Quicquid & in sacris scriptum fuit undiq; libris,

Quicquid jura docent & medicina potest.

Per multos annos mea cura huic præsuit ædi,

Sed pulchræ domui profuit illa quoq;.

Quam bene muni vimuroq; & turribus altis,

Adversus vulgi tela inimica crucis.

Tu quicumq; istac transis, studiose viator,

Quæso optes animæ mitia fata meæ.

Reliquit post se, eo tempore adhuc superstitem fratrem Germanum, Dominum Henricum, Abbatem Maulbrunnensem, virum & literis & virtute non ignobilem.

26. Joannes Zauber, secundus hujus nominis, artium Philosophiæ Magister, eligitur anno Christianæ salutis 1540. Est vir latine doctus, qui Heidelbergæ & Coloniae feliciter studuit, liberalis, munificus, & erga literatos omnes humanissimus, bonus ac fidelis hæctenus rerum sui cœnobii inspector & administrator. Circumduxit eleganti & forti muro insignem vineam Laytensem, circa Graispachium ad Danubium sitam, & in media ea vinea amœnissimas construxit ædes, ex quibus caelo sereno tota urbs Augusta Vindelicorum amœnissimo prospectu videri potest. Hæc quatuor aureorum millibus confecit. Apud Gendrichium (qui pagus est in Lyci & Danubii confluxu situs) ejusdem nominis arcem suam ampliavit & præclare auxit. In civitatibus Giengenfi & Werdensi præclaras ædes penè de novo instauravit. Sub ejus gubernatione fulmine & tempestatibus læsum erat templum cœnobii, turris vero adjuncta cum campanis omnibus conflagravit anno 1543. Hæc ipse omnia præclare iterum pristinae dignitati restituit. Extant ad hunc Elegiæ à me scriptæ in 14. & 15. libris Silvarum mearum. Interfuit anno Christi 1548. & hoc præterito Jubileo Comitii Augustanis, a Carolo V. celebratis, in quibus benignus Mæcenas plurima mihi communicavit ad operis hujus amplificationem.

CAM-